

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

MATRITEN.

BEATIFICATIONIS seu DECLARATIONIS MARTYRII

SERVAE DEI

Mariae Sagrario a S. Aloisio Gonzaga

(in saec.: Elvira Moragas Cantarero)

MONIALIS PROFESSAE

ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM

(1881-1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Si conresurrexistis Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram» (*Col 3, 1*).

Christo inserta, Soror Maria Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga in lumine vixit fidei, cor liberum servans a rebus terrenis et alacriter ambulans ad aeternam patriam, supremo praebito testimonio caritatis sanguinis effusione sicque martyrum adepta corona.

Fidelis haec discipula Sanctae Teresiae a Iesu orta est die 8 mensis Ianuarii anno 1881 in oppido *Lillo*, ad Toletanam archidioecesim pertinente, ex legitimis coniugibus Richardo Moragas Ulcelay, pharmacopola, et Isabella Cantarero Vargas, boni status socialis et oeconomici, qui ad fontem baptismalem nomen ei indiderunt Elviram. Solidam a parentibus accepit moralem et religiosam educationem, quam postea perfecit apud

Sorores Mercedarias, quarum fuit discipula. Diligenter frequentavit ordinem studiorum artis medicamentariae apud Studiorum Universitatem Matriti, quo anno 1886 Servae Dei familia transfererat, cum decore se gerens atque gravitate semper et ubique. Doctoris gradu adepti anno 1905, cum cura laboravit in patris medicina taberna, post cuius mortem eius rectrix est facta. Sanas coluit amicitias, vitam aluit spiritalem, cotidie Missae intererat et Eucharistiam accipiebat, cilicium gerebat et caritatis opera exercuit erga pauperes.

Adhortante Beato Iosepho Maria Rubio Peralta, S. I., statuit se Deo consecrare et anno 1915, omnibus relictis rebus, ingressa est tamquam postulans inter Moniales Carmelitides Discalceatas monasterii Sanctorum Annae et Ioseph in urbe Matrito. Professionem simplicem fecit anno 1916 ac sollemnem anno 1920. Indole amabili praedita, forti et officiosa, facile iam a novitiatu vitae adhaesit communi, claram ostendens perfectionis appetitionem. Voluit namque ex sua consecratione vivere cum fidelitate et generositate, Regulam observans et vota religiosa et animam suam liturgia nutriens, precatione, contemplatione. Sorores sodales eam magni faciebant propter eius virtutes; quam ob rem anno 1927 Antistitam eam elegerunt monasterii. Disciplinae observantiam fovit, in aliquam incurrens difficultatem a quibusdam monialibus proficiscentem; sed si severa erat erga sodales, imprimis nimium inquirebat in se, id exemplo proponens, quo modo Dominus sit amandus eique serviendum. Munere ad finem adducto, egregie officia explevit magistrae novitiarum (annis 1930-1933) et ostiariae (annis 1933-1936). Calendis Iuliis anno 1936 iterum est Antistita electa. Aestimata est propter fidei soliditatem, fiduciam Dei, caritatem erga Dominum et proximum, potissimum Sorores sodales, prudentiam in Monasterio regendo, fortitudinem in difficultatibus, humilitatem, sedulitatem. Precationem coluit, pietatem in Sanctissimum Sacramentum, in Sacrum Iesu Cor et in Virginem Mariam. Castigationem exercuit et paenitentiam et, quamvis esset ad austeritatem propensa, maternas adhibuit curas erga Monachas et iusta fuit in singulas.

Cum in Hispania bellum civile exarsit (annis 1936-1939) et contra Ecclesiam eiusque filios persecutio, Serva Dei sociis facultatem fecit ad familias redeundi ut pericula effugerent. Ipsa autem mansit in Monasterio cum paucis Monialibus, quae Matriti parentes non habebant. Die 20 mensis Iulii anno 1936 manus militianorum in earum habitationem impetum fecit, quae Servam Dei ceterasque monachas adduxerunt ad Rectionem

Generalem Securitatis. Post aliquot horas dimissae, varia invenerunt refugii loca apud familiares et amicos. Mater Maria Sagrario cum aliquibus Monialibus accepta est apud quandam familiam et, quantum potuit, sequi perrexit Regulam et commercia habere cum Sororibus sodalibus per urbem dispersis. Postridie idus Augustas anno 1936 est a militianis comprehensa et in carcerem ducta, in quo iam erant communitatis suae religiosae aliquae, quae postea affirmaverunt suam Antistitam firmiter se gessisse et tranquille postulationibus obstitisse carceris custodum, qui volebant eam chartae subscribere, et demum, cum cessit, id quod scripsit violentas excitavisse irritationes. Omnibus patebat eius coniunctio cum Deo. Aliquandiu genibus nixa precata est, persecutoribus Sanctissimam Virginem blasphemantibus. Eadem nocte illa ducta est ad locum qui appellabatur "Pradera de San Isidro", apud Matritum, ibique ignivoma ballista eam necaverunt.


Mors eius statim est verum martyrium habita. Quae fama diffusa est et confirmata secutis annis; quapropter Episcopus Matritensis Causam iniit canonizationis per celebrationem Processus ordinarii informativi (annis 1962-1965), cui additi sunt tres Processus rogatoriales. Harum canonicarum inquisitionum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto postridie idus Decembres anno 1984 promulgato. Confecta *Positione*, disceptatum est an Serva Dei propter fidem esset interfecta. Die 7 mensis Iunii anno 1996 actus est, felici cum eventu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales et Episcopi deinde, in Sessione Ordinaria die 21 mensis Ianuarii habita anno 1997, Causae Ponente Excellentissimo Domino Florino Tagliaferri, Episcopo Viterbiensi, professi sunt Matrem Mariam Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga veram esse martyrem putandam.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Pro-Praefecto, certior factus, die 25 mensis Martii anno 1997, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servae Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servae Dei Mariae Sagrario a S. Aloisio Gonzaga (in saec.: Elvirae Moragas Cantarero), Monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, anno 1936 interfectae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 8 mensis Aprilis A. D. 1997.



† ALBERTUS BOVONE
Archiepiscopus titularis Caesariensis in Numidia
Pro-Praefectus



† EDUARDUS NOWAK
Archiepiscopus titularis Lunensis
a Secretis